

## IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM

72

& juris ordine contempto, Ezechiam, cum plerique alii interfecisset. Quibus rebus permotus Hircanus, Herodem ad judicium & cauam dicendam vocavit. *iii.* Quod Herodes ordinatis rebus Galilea ad judicium, non privati more, sed cum modo praefidio venerit & sententiam capit suu imminente, tum arte & magnitudine animi, cum etiam Sexti Cæsaris Syriae Praesidis minaci potentia, tum denique fuga declinaverit. *iv.* Quod Sextus Cæsar, accepta pecunia, Herodem Cœlesyriae præficerit, sique impatienter ferens vocationem in judicium suum, & conjurantes suam in perniciem Primorum è Judæis animos, exercitum contra Hircanum moverit, sed fratri patrisque precibus placatus, terret satis habuerit. Certe hac omnia quæ memorat Josephus ab Herode acta eo ipso anno quo Galilæa præfectus est, in puerum 15. annorum non cadunt; nec verisimile est Sextum Cæsarem provinciæ & exercitus administrationem tantulæ quindecim annorum ætati commississe, cum id à moribus Romanis maximè abhorret; ut ostendit Caii Cæsari exemplum, cui in Orientem proficisci Rectorem assignavit Augustus, licet conjugato, & octodecim annos nato, & candidato Consulatus. Manifestum igitur est huic Josephi loco mendum inesse.

Respondeo secundo, quod eti hoc in loco aberrasset *Josephus*, non ideo tamen toti ejus Chronologia fides esset deroganda, sed ex aliis ejus locis levius hæc hallucinatio contigenda esset. Inquit enim est authoritatem abrogare Scriptori doctissimo, & alias accuratissimo, quod aliqui in libris illius navi reperiantur. Certe Jolephi in conscribendis rebus Herodis veracitatem attestatus est Rex Agrippa junior, Herodis neppos, qui 62. Epistolas ad Josephum dedit, veritatem narrata testes, quarum aliquas recitat *Libre de Vita sua*. Attestata sunt, qui libros ipsius approbarunt, non Romanæ duntaxat, sed Judaicæ Gentis Proceres; quos utique res Herodis omnium sermonibus celebratae in Judæa, latere non poterant. Attestata sunt præsidia, quibus instructus fuit ad Historiam suam concinnandam; habuit enim penes se ipsa Herodis Acta, & Nicolai Damasceni Commentaria, (qui Herodi fuit ab intimis Consiliis, soloque adulandi studio peccavit) eaque per annos Herodis, ut credere par est, digesta. Josephi præterea Historia fidei conciliavunt suffragia Imperatorum Vespasiani, & Titi, à quibus & statu Romæ donatus est, ob ingenii gloriam, ut testatur Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in *Josepho*. Et Titus libros ejus manu propria exaratos in publicam Bibliothecam inferri jussit, & ex iis solis rerum, quæ ibi narrantur, notitiam peti, ut ipse testatur Josephus libro de Vita sua. Cui ob res cæteras verisimile scriptas, etiam hac in causa fides adhibenda est, inquit Eusebius lib. 3. Historia Ecclesiastica cap. 9. ubi Josephi Historiam magnificè commendat. His adie S. Hieronymi testimonioum, qui Epistola 22. ad Eustochium datâ Josephum honorifico *Graci Livii* nomine exornat. Quæ omnia offendunt, nullam Baronii & Sectatorum ejus habendam esse rationem, qui nobilem Historicum passim proscindunt, & ejus in iis, quæ vitam & mortem Herodis spectant, Chronologiam aspernantur.

Instabat contra primam responsionem: Si Josephus scripsisset Antipatrum Herodi 25. annum agenti Galilæam curandam commississe; non erat cur tantopere virtutem Herodis exaggeraret, dicere que, ætatem illi non obfuisse: nam annorum 25. ætas rebus agendis idonea est; nec, qui illam attigit, omnino juvenis dici debet. Cum ergo Josephus scribat Herodem tum fuisse omnino juvenem, & ætatem illi non obfuisse quominus res magnas ge-

A reret; verisimile est laudatum Authorem scripsisse Herodem quindecim duntaxat annorum, non vi-ginti quinque fuisse, cum Galilæa à parcente Antipatro præfectus est.

Respondeo, nego antecedens. Nam 25. annorum ætas tanto gerendo muneri adhuc videri poterat immatura. Porro juvenes admodum appellari qui proiectoris etiam sunt ætatis, quam 25. annorum, non uno Scriptorum cum profanorum, tum sacrorum exemplo offendit potest. Polybius Hieronem vocat *admodum juvenem*, lib. 1. cum esset annorum triginta quinque, ut obseruat Caſaubonus Exercitatione 1. Idem lib. 17. scribit, *Ti-tum Flaminium* ducem adversus Philippum Mace-donem designatum fuisse, quamvis adhuc *admodum juvenus* esset: *plures enim, quam triginta annos non habebat*. Hippocrates, ut Philo testatur lib. *De Mundi Opificio*, vitam hominis per septenaria partitus, juvenculos vocat à tertio septenario ad quartum, id est, à 21. ad 28. annum. Cicero lib. de Oratione seipsum vocat adolescentulum, cum annum 27. jam attigisset. Augustus Cæsar vigesimum annum agens puer ab omnibus paſſum vocabatur: atque ita invaluerat ea appellatio, ut Senatusconsulto eam prohiberi opus fuerit, ut obseruat Servius in illa verba Eclogæ 1. Virgilii: *Hunc ego vidi juvenem*. Tubero apud Aulum Gellium lib. decimo, cap. 28. asserit juvenitatem à Servio Tullio usque ad 46. annum fuisse productam. Et, ut profanis sacra subjugamus exempla, Josue, Exod. 33. puer vocatur, live, juxta Textum Hebraicum, juvenus, quamvis jam 39. annum attigisset (ut Tostatus observit) & difficulti cum primis bello contra Amalekitas jam fuisse præfectus. Absalon jam trium filiorum pater, lib. 2. Regum cap. 18. puer vocatur. Sanctus Paulus Actuum 7. dicitur *Adolescens*; cum tamen annos circiter 33. natus es- set. Denique Laetantius lib. 14. Institutionum cap. 15. scribit Christum Dominum baptizatum fuisse, cum primum capit adolescere. Quid mirum igitur si Josephus Herodem 25. annos natum, *admodum juvenem* vocavit, habita ratione munieris, quod ipsi ab Antipatro imponebatur?

Porro si legatur in Textu Josephi 25. loco 15. rectè quadrat quod scribit idem Josephus, Herodem mortuum fuisse propè septuagenarium. Nam ipsi ab Antipatro commissa est Galilæa administratio anno Periodi Julianæ 4668. ante Julianam correctionem 1. ante vulgarem Åram 46. septem post annis Rex declaratus est Romæ, anno scilicet Juliano 6. ante Åram vulgarem 40. Tum igitur annum agebat 31. regnavit deinde 37. annis: mortuus quippe anno Juliano 42. ante vulgarem Åram 4. Ergo tunc agebat annum 67. adicoque etat propè septuagenarius.

Objicitur septimus. Herodes mortuus non est nisi post cædem Puerorum: at hanc imperavit Herodes biennio post Natale Christi; ergo post Natale Christi vixit. Ergo si mortuus est 37. regni sui anno, sequitur Christum natum esse anno regni Herodis 35. vel dicendum erit ipsum regnasse annos 39. adeoque tota Josephina Chronologia machina sub-structur.

Probatur Minor ex illis verbis S. Matthæi cap. 2. *Tunc Herodes, videns quoniam illufus est à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infra, secundum tempus, quod exquisie-rat à Magis.*

Respondeo, nego Minorem. Nam cædem Infantiū edidit Herodes paulò post adventum Magorum. Magi vero adoratum venerunt Christum paulò post ejus Natalem. Idque indicant verba S. Matthæi cap. 2. *Cum ergo natus esset Jesus in Beth-leem*